



2/10/11
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

20
EXERCITATIONES
ORATORIAE
SVADÆ CASSOVIENSIS.

SUPREMO HONORI
*Illustrissimorum, Reverendorum,
Nobilium, & Doctissimorum Domi-
norum*

AA. LL. & Philosophiæ Neo-Magi-
strorum

Per
R. P. LADISLAUM PODHORANI, è Soc.
JESU; AA. LL. & Philosophiæ Doctorem,
ejusdemq; Professoremeritum-creatorum.

Oblatæ
A Perillustri & Nobili Rhetorica
CASSOVIENSI.



LEUTSCHOVIAE,
Anno M.DC. XCV.

*Maria Mo
ms. 1700.*



*Illustrissimi, Reverendi, Nobiles,
ac Eximij Domini, Domini Neo-Magistri
Philosophi.*

DArcite, quòd Exercitationes
Oratorias, hoc est, rudem Svadæ no-
stræ laborem Laureatæ quieti vestræ
interferamus. Existimavimus vide-
licet sub umbrosa Lauro non incommodè
quieti indulgere posse ad fluidos blandè admur-
mुरantis rivuli labores. Rhetoricam nostram
à fluentis suam ducere originem non ignoratis:
si quam adhæc fluenta quietem capere dignabi-
mini; affectui & labori nostro credemus fa-
ctum fatis. Graviorem crepitantis murmuris
sonum, qua à dulci otio excitemini, non pavete:
planiore enim styli defluxu progredimur. Sed
nec verborum miscemus acumina; ne aut mel-
litis apium circumvolantium aculeis laureata
interturbetur quies; aut spinosa Logices me-
moria vellicet animos jam pridem à spinis elu-
ctatos.

Etatos. Accipite igitur hoc quale quale affectus
nostri monumentum. Quod si expectationi
vestræ aliquatenus satisfecerit, gaudebimus.

Honoribus Vestris
Addictissimi Rhetores:

EMERICUS GÖRGEI, Prænobilis Ungarus
è Convict. Nob.

JOANNES MELCZER, Prænobilis Ungar.
ex Semin. Kisdiano.

GEORGIUS NÉBEST, Nobil. Ung. è Con-
victu Nob.

GREGORIUS ZORGER, Nob. Ungar.

STEPHANUS URANCSICH, Nob. Ung.

ADAMUS BAKAY Nobil. Ungarus.



ACTIO



ACTIO IN RHETORICAM.

*Quam Miso-Rhetoricus accusat, Philo Rhetor
defendit.*

Miso-Rhetoricus

Contra Rhetoricam.



Redo ego vos, teq; imprimis æquissimè cau-
sarum Præses non leviter mirari, quid sit, quòd cum
omnium penè proborum lingvæ in magnæ animorum
Imperatricis Eloquentiæ solvantur laudes, & enco-
mia, ego unus præter morem audacior, adversus eam
peroraturus assurgam. Quidquid enim insolitum est,
solet animos tenere suspensos, quidquid rarum, raritate suâ perstrin-
gere, quidquid inexpectatum, expectationem movere admirationis.
Habet suos repentè promicantis cœli splendor, quos rapiat oculos;
habet suos inopinatus tonantis ætheris fragor, quos incutiat metus,
habet suos inexpectata amicorum odia, quos infigant doloris acu-
leos; habent denique suos naturæ miracula, quos reddant animos
stuporis extasi attonitos. Quod inexpectatum, admirandum. Verùm
si animum meum tum in Rempub. humanam propensissimū, tum etiam
dulcissimæ patriæ nostræ privatiq; vestri boni studiosissimum inspexe-
ritis, veniam, nihil dubito, Patres sapientissimi concedetis, si ea, quæ
ab illecebrosa Rhetoricæ suadela in homines dimanant incommoda,
brevis hac dictione meâ ostendero.

Et sanè quamvis id unum toto affectu desideraverim, ut ei, cui me
plurimum debere profiteor, procul amotâ vel ipsâ in sinceri animi um-
brâ, omnem officiosæ humanitatis famulatum, honorémq; exhibeam:
quia tamen sive audaciæ concitata impetu, sive dominativæ libertatis
sue freta potestate, iniquum æquè ac justum sine discrimine suadendo,
ac imperando eò prolapsa est impudentiæ; ut nisi cordati alicujus viri
interposita coërceatur auctoritate; manifestum humanæ Societati
peritura sit exterminium; non erit credo, qui susceptos à me pro com-
muni

muni bono conatus sinistro reprehensionis oculo dignè valeat intueri, meq; ingratae temeritatis arguere. Quis enim ingratum eum esse jure censeat, qui ut gratificetur omnibus, uni gratiam non refert immerenti? Laudi hoc à Romano Senatu datum fuit Bruto, quòd ut totam ab imminentibus malis eximeret Rempublicam, unum è vita Julium Cæsarem, à quo in filium adoptatus erat, exturbârit. Suo nimirum natura cedere videtur juri, quando conservari aliter nequit publica salus. Multorum discrimen vitæ unius, etiam amici, morte amoliri licet. Malè ageres, si aut ad procurandum bonum, aut ad removendum publicum malum in tuos non sævires. Privatus videlicet sepouendus est affectus, ubi de publica agitur salute. Impius est, quisquis uni suorum parcendo, multos cum alienis suos interimit. Si malum tolerari debet, cum potest, feratur à paucis. Neque verò illud cogitetis velim, quòd ego nulla omnino ab Eloquentiæ fluentis in Rempublicam derivari commoda, eamque penitus humanæ societati inutilem esse contendam: hoc enim verò quia veritati dissonum, apud veritatis amantes meritò vapularet assertum. Fateor igitur Rhetoricam AA. LL. Magistram non solum per quam utilem, sed & necessariam esse generi mortalium: plurimorum caput & vitam servari. hominibus perditis (: cum Græco Eloquentiæ Principe loquor :) præsentem opem adferri, gentibus barbaris belluarum more per sylvas & nemora sparsim habitantibus, ut unà convenient, panegyres celebrent, leges accipiant, amicitias colant, æquali jure vivant persuaderi ab Eloquentia non nego. Cui sua Urbes primordia, sua incrementa Provinciæ, suam incolumitatem regna, suam Imperia referunt in acceptis potentiam. Illud solum ago, ut repressâ ejus insolenti audaciâ, & pro libidine quilibet suadendi ac imperandi temeritate castigatâ ad competentes suæ conditioni modestiæ leges revocetur. Quid enim? illamne Judex æquissime, Patresque Sapientissimi impunè permittimus abire; quæ etsi non pauca inferat commoda, unâ tamen gravissimorum malorum iliadem orbi invehit universo? illamne sceleris puram pronunciabitis? illam vos ab omni pœna absolvitis? quæ scelerum omnium mater nullas non pœnas in hominum societatem invexit? atque ut Græca illa Helena Trojanis, sic ipsa multis regionibus exitij causa fuit. Quid ego hic luctuosam illam in primo sui exortu humanæ gentis ruinam commemorem? quid primum in supremam Majestatem ab homine perpetratum crimen, & ex eo veluti fonte omne pœnarum & cala-

calamitatum profiliens genus vobis revocem? nemini non nota sunt
ista serpentinae effecta Rhetoricae: ad cuius elaboratam leges dum
e cathedra scientificae arboris stygius sycophanta declamat orationem,
eò dementiae molli verborum suadelâ curiosam inducit auditricem; ut
hæc contempto supremi Numinis decretò, interdictum sub pœna mor-
tis fructum arbori detraheret, detractum ad morderet, gustaret, omnè-
que malorum genus ad suam & posterorum perniciem in malo unico
devoraret. Ex primo alterum hominis nequitiâ perpetratum scelus
occurrit. Quo ad jutore parricidarum coryphæus Cain Germanum
Abel jugulavit? si Divinis fidem habemus paginis, Eloquentiâ. Elo-
quentiâ fratri in agros egressum suavit; Eloquentiâ à conspectu geni-
torum avocavit; eloquentiâ fraternum amorem in egressu simulans ^{modo}
conceptum odium dissimulavit, ac tandem nihil tale suspicantem ausu ^{his de}
nefario interemit. " Et ne longè à sæculis nostris abeamus, quis ler- ^{bat.}
næum illud monstrum septicipitem ævi nostri hydram Lutheri hæresim
procreavit? fœcunda scelerum, & errorum parens Eloquentia. Quis
Christianissimas Galliæ, Apostolicas Ungariæ, à prisca fide laudatissi-
mas Germaniæ terras impietatis heterodoxæ mendacijs consecit? ini-
mica veritati Eloquentia. Quis tot cladibus florentissimas olim Europæ
prorvincias affecit? populos in mutuum cædem armavit? Urbes, &
Oppida suorum sanguine civium foedavit? vexavit, laceravit, incendit,
evertit? tyrannica animorum imperatrix Eloquentia. Audivimus,
aut fortâsse etiam spectavimus eam in Catholicos exercitam fuisse cru-
delitarem, ut horum alij vivi in terram defoderentur, prominentibus
capitibus, quæ in discum versata metam signarent: alij arctissimis alli-
gati vinculis, omnique alimento sustentandæ vitæ necessario privati,
urgente fame alter alterum vorarent: alij ferreis calcibus solearentur
ut equi: aliorum eviscerarentur ventres, in quibus pabulum sumerent
pecudes ut in præsepio; interfectorum exta adhuc calentia per hu-
meros traducerentur ut baltheum, vel involuta baculis ad ludibrium
prægestarentur ut trophæum: truncæ aliorum nares pileis assuerentur
ut lacinia, capita rotarentur ut globuli, oculi acubus discernentur ut
telæ; in molendinis aquariis membra omnia rotâ vertente tererentur
ut triticum. Si immanem hanc & plusquam Neronianam tyrannidem
heterodoxorum crudelitati adscribimus, eandem Eloquentiæ hetero-
doxæ crudelitatis matri adscribamus necesse est. Quis deniq; (: quod
non solum historia præteriti custos temporis, sed vel ipsa experientia
nos edocuit:) quis inquam sacrilego ausu suis templa ornamentis spo-
liavit?

liavit? evertit aras, Sanctorum imagines truncavit, &, quod horret
animus Sacratissimum DEI-hominis corpus modò pedibus attrivit,
modò equis canibusquè in escam & pabulum apposuit? Orbis non
ignorat, Sacrilega Lutheri Martini eloquentia. Per hanc ille errorum
suorum zizania disseminavit; per hanc veluti canalem pestilentissimum
hæreseon virus integris provincijs infudit; hac duce ad aulas Princi-
pum penetravit; hoc incentore populos ad rebellandum Dei in terris
Vicario commovit; hoc classico cum Urbibus vicos & oppida, imò
regna integra ad inferendum fidelibus bellum accendit, militarem li-
centiam sponte suâ in omne vitiorum genus proclivem ad nefarios
quosque ausus animavit. Infinitus sim si omnia, quæ vel sola dulcissi-
ma patria nostra Ungaria ab Eloquentia accepit incommada enume-
rem. Quoties in conventibus ad unius sycophantæ vocem exciti ad
perduellionem populi, evocati ad populandos vicos, & oppida bar-
bari, correpta in mutuas cædes arma, scripti in patriæ exterminium
exercitus, expugnata præsidia, everse urbes, aut crudelissimæ
neci dati; aut in duram, & plusquam Mitridaticam servitutem
cives abacti. Ut nihil de illis, quas hostilis eloquentia Hungariæ intulit,
loquamur calamitatibus. Lugebat illa (: veteres liceat renovare
dolores:) lugebat illa, & etiamnum non sine commiseratione memi-
nit, duobus præliis (: tacemus innumera:) duos immortalitate dignos
Reges Vladislavum & Ludovicum, illum in Varnensi cum Turcis actio-
ne hostili ferro crudeliter cæsum, hunc profligato ad Mohacsij cam-
pos Ungarorum exercitu, in fugam actum, ac tandem aquis miserè præ-
focatum. Si rectè ratiocinamur, & hunc præfocavit, & illum cæcidit
Eloquentia. Compendiosam actæ rei seriem accipite. Ut inclina-
tam, & ab Vladislavo in fugam actam suorum aciem purpuratus Maho-
metanæ tyrannidis Princeps Amurathes in officio contineret, atque
ad reiterandum prælium incenderet, depromptum è sinu initi cum
Christianis foederis codicem explicat, & tali è medio suorum agmine
oratione usus, contentissimâ voce perorat: Hæc sunt, ingeminans
(: verba perorantis ab Hungarico Livio fastis commendata recito)
hæc sunt JESU Christe foedera, quæ Christiani tui mecum percussere.
Per nomen tuum sanctè jurârunt, datamq; sub nomine tuo fidem vio-
lârunt, perfidè suum Deum abnegârunt. Nunc Christe, si Deus es,
& nos hallucinamur, tuas, measq; hic injurijs te quæso ulciscere, & his
qui sanctum tuum nomen nondum agnovère violatæ fidei poenas
ostende. Vix hæc effatus Amurathes, cum in novos animati furores
Tur-

Turcæ fugam sistunt, prælium redintegrant: Uladislavus martiali spiritu ad prætorianas usque cohortes provehitur, in confertissimos se se hostes ingerit, & rem strenuè agens occurrentem quémq; aggressus è vestigio cædit, proterit, dum interim à confosso, quò vehebatur equò in medios Janicserorum enses ejectus, & confluyente ingenti prætorianorum manu cùm regia gestaret insignia telorum sylvâ confoditur, cæditur, obtruncatur, miseranda Eloquentiæ Amurathicæ victima. Lamentabilem alterius casum non describo. Qui vel cursim Ungaricos pervolverunt annales, hinc inconsultâ Ductoris cujusdam Christianos socijs magna ex parte absentibus ad maturandum prælium cohortantis oratione, inde præservida purpurati tyranni suos ad conflictum accendentis cohortatione Ludovicum neci datum fuisse non ignorant. Dies, quid dico dies, menses & anni me priùs deficient, quàm luctuosos unius Ungariæ casus ab Eloquentia causatos recenscam. Quotquot malè pugnata gessimus bella, finistrioris eventus adjutricem, & authorem habuère Eloquentiam. O Eloquentia quantum malorum messem invehis! quantam stragem facis in humana Republica! Tu vastitatem Regnis, Urbibus excidium, provinciis desolationem inducis. Tu leges, & jura proculcas, verecundiam & pudorem abigis, sepulchra violas, parietes perforas, sacra profanas, aras & focos evertis, nihil non habes venale, nihil non prodis. Et hanc nos omnis expertem criminis pronunciamus? Eloquentiam, aut veriùs Cacotechniam (: hoc sarcasmo sapientissimus Athenæus eam perstringit) Eloquentiam honoribus magis quàm pœnis dignam censebimus, & sine omni fræno ei liberè pro libidine sua quolibet evagandi, quilibet audendi facultatem concedemus? Rhetoricam tantorum causam malorum tantis impendiis ediscemus? Agite sapientissimi Patres, & si Reipublicæ humanæ felicitas, si Patriæ salus, si vestrum omnium bonum vobis cordi est Rhetoricæ, ne quilibet audendi deinceps potestatem habeat, frænos injicite, Eloquentiam compescite, punite Eloquentiam; quam ego non sine rationum pondere ream Dixi.

PHILO-RHETOR

Pro Rhetorica.

SI tacuisses, & contra Eloquentiam loqui non præsump-
fisses, fortè Philosophus, hoc est Sapiens mansisses Miso Rhe-
torice antagonista. Nunc verò quia in eam nescio quo furoris
cestro percitus tuæ gladium evaginasti lingvæ, quam disertissimæ

B

Sapien-

Sapientum omnium lingvæ defendunt, si quam fortè hæctenus habere tibi visus es sapientiam, sapienti omnium Sapientum opinioni fatuè contranitando, aut omninò amisisti, aut certè suspectam reddidisti. Quis enim fatuitatis vento te afflatum esse dicere non audeat, qui Rhetoricam orbis iudicio impietatis hostem, Præsidem æquitatis Innocentiæ vindicem, Virtutum advocatam, scelerum omnium profligatricem in causam attrahere, ad sapientissimum hoc tribunal provocare, tot confictorum criminum ream agere ausus, iniquus accusator coram venerando hoc confessu comparuisti. Nisi fortè eam tibi mentem esse autumemus, ut quod Soarius Tabularum suarum lib. 1. cap. 54. innuit, exercitationis gratiâ iniquorum rationem propositam, & cognitam esse velis ad meliùs tuendam æquitatem. Laudi hoc equidem tibi darem: cùm eodem approbante Soario exercitatio defendendi utilitatem adversus honestatem sit utilis in Scholis & laudata. Si tamen, quod non vanè suspicari me jubet ad Poëticam magis, quam ad Oratoriam artem proclivis tua indoles, alienato ab Eloquentia animo iniquam hanc accusationem suscepisti, non tantùm non approbo, sed queis possum, viribus contranitor. Antipatica illa perversæ hominum naturæ indoles est, ut quod innatis sibi moribus adversum animadvertunt, id è consortio humano eliminare, exterminare conitantur. Dum suæ nimium ablandiuntur propensioni, contemnunt quidquid eidem videtur adversari. Equidem nullam sive Liberalium, sive aliarum artium ita in perfectione comparatam reperio, quæ defectu careat suo; admitto etiam in auro scoriam, in sole nævos non nego. At Rhetoricam Artium Liberalium Magistram, per insigne ludibrium traduci, per inauditam calumniam, tot, tantorúmque criminum accusari, infontem ad pœnas postulari omninò non patiar. Quæ cupiditatem frangit, effrænatos animos coërcet, hortatur ad virtutem, revocat à vitijs, quomodo vitijs obnoxia erit Rhetorica? Athenæum, qui eximiam dicendi facultatem cacotechniam, hoc est fallendi artem imprudens appellavit, non adoro. Excidit hoc erudito aliàs, ut seipsum deceptorem faceret, ac Sycophantam, sui que similes odiosâ sanè appellatione infamaret. Soli ego veritati patrocinator, dum Eloquentiam sceleris puram, humanæque Societati præ alijs artibus utilem, ac necessariam assero, orbis testimonio approbo, argumentis non obscuris corrobore, vestraq; A. A. Sapientissimi consuetâ benevolentiam tento confirmare. Atque ut primùm ab eis, quæ à malevolo animo calumniosè jactata sunt, Rhetoricam meam vindicem convitijs Tuæ Misorhetorice

rice accusationis Achillem arripio. Fœcundam scelerum matrem Elo-
quentiam compellâsti; Calamitates, quæ à primis mundi incunabulis
orbem inundârunt, veluti à fonte rivos ab ea emanâsse, illamq; non
aliter ac Græcam illam Helenam Trojanis, multis regionibus exitio
fuisse affirmâsti; illi primum ab homine perpetratum crimen, illi Cai-
næum parricidium, illi tot monstrorum parentem ævi nostri hæresim
appinxisti; per illam solo æquatas Urbes, expugnata præsidia, depo-
pulas Provincias, incinerata Oppida, exipoliata Tempa, everfas
aras, sacra profanata, tyrannidem in pios, ac fideles exercitam asse-
ruisti quidem, sed tam parùm probâsti, quàm parùm probat, qui in
gladium, quô furiosus quispiam proprio vitam parenti tollit, totam
parricidij nequitiam refundit. Assentior equidem impostorem illum
prioris sæculi, aliosq; similis farinae sycophantas, & præstigiatores in
diffeminandis errorum suorum zizaniis Eloquentiâ usos fuisse; Prin-
cipem illum parridarum sermone fratrem extra oculos genitorum in
agros abduxisse, mendaciorum patrem primæ mulieri, & hanc viro in-
terdicti pomi esum molli svadelâ persuasisse: At ideoné scelerum
istorum ream agemus Eloquentiam? Quis aut penicillo malè mineatæ
imaginis deformitatem, aut scalpro improportionatam Mercurij sime-
triam attribuat? Nisi fortè puerorum limen in quod impegerunt, ver-
berantium impetum sequamur, aut cum animante latrabili jactatum in
se à transeunte viatore lapidem mordeamus? Inaudita sanè, & enor-
mis blasphemia foret Sacratissimo Dei-hominis sub triticeï orbis velo
latentis corpori ea appingere sacrilegia, ad quæ exercenda illo abutun-
tur mortalium perditissimi. Næ ille æquo cujusvis judicio iudex ini-
quus haberetur: qui non hominum nequitiam, sed creaturas morta-
lium saluti procurandæ destinatas sempiternæ ad inferos damnationis
causam esse censeret. Invidiæ profectò cælo deturbati spiritûs, &
mulieris curiositati, non in fonti Eloquentiæ prima hominum ruina ad-
scribenda. Nec sermo Abelem peremit, nec oratio hæreseon nostri
temporis hydram genuit. Malevolus invidentis Caini animus in in-
nocentem sævijt, infrunita toties excuculati Lutheri libido lernæum
illud monstrum in orbem enixa, cum eo malorum iliadem regnis infu-
dit. Nequitia hominum Eloquentiam nefariis actibus servire cogen-
tium culpari debet, non Eloquentia: quam prudentissimus rerum o-
mnium opifex, & moderator in sui, ac operum suorum laudem, huma-
næq; societatis commercium sapientissimè ordinavit.

Divinum quid est Eloquentia: Nam cæteræ quidem artes ab ho-

minibus inventæ hominum labori relictæ sunt, ars verò persuadendi, hoc est inclinandæ, movendæ, & quo libuerit impellendæ voluntatis nobis cum Angelis, cum Deo ipso quodammodo communis est. In ea (: Magnum Ecclesiæ Oratorem Africanum Præsulem Augustinum perorantem audite:) in ea se DEUS exercet, in ea delectatur, in ea triumphat, dum nos sinè strepitu verborum intus alloquitur. Poteritne igitur vel umbram præferre mali Eloquentia, quam summa illa Sanctitas in delicijs habet, & triumpho? Eone indignitatis infinita devolvetur Majestas? utquæ crimen omne implacabili persequitur odio, illud in Eloquentia amore dignetur suo. Sentiat, quod cui lubet; ego certè absurdum hunc cogitatum non admitto. Omni necesse est, exempta fit, ac libera malitiæ nævo, per quam bonum omne initio rerum Deus procreavit. Domini verbo, hoc est, ut prima Geneseos pagina innuit, locutione cœli firmati, Lunæ, Stellarum, ac Solis luminaria constituta, immensis aër tractibus infusus, universa mundi machina est condita. Oratores erant Divinæ Sapientiæ Commissarij Apostoli. Oratores orbis reformati Institutores, ipsa veritas æterna è cœlis in terras ad reconciliandos summæ Majestati mortales ablegata, egit oratorem. Imò quia Deus ipse, quod elevatus super omne creatum Magistri Veritatis ocellus Joannes vidit, quia inquam Deus ipse Verbum est, quidni Eloquentia, quæ aliàs verbi nomenclaturâ gaudet, divinitatis particeps erit? Et hanc tu tantorum ream criminum agere, hanc accusare non vereris? Vide, quò tua te præcipitârît audacia! dum enim Eloquentiam de iniquitate arguis, non modò sanctissimis hominibus, sed ipsi quoq; supremæ bonitati, malitiæ notam inuris. Pudeat te, quòd tam impudenter adversus eam os aperias, à qua vel ipsum hoc eloquium, quo illam ingratus cuculus perstringis, accepisti. At multum inquires, vel nostris temporibus sanguinis fudit Eloquentia, dum aut omninò delevit, aut maximam partem, integros exercitus ruinavit. Non refragor. Ea quippe illius vis est, ac potentia, ut quam bellica persæpè virtus desperavit, gloriosam ipsa de hoste peperit victoriam. Neque urget infideles non rarò de Christianis per Eloquentiam triumphâsse. Divina quippe Nemesis ad castigandos quandòq; istorum nefarios actus sociam sibi, & ministram adsciscit Eloquentiam. Hinc ut illa justissimè castigando plurimum laudabilis, ita hæc castiganti assistendo minimè vituperabilis.

Et quis obsecro eam vituperare audeat, quam disertissimæ sapientiæ æquè, ac sanctitate illustrium virorum lingvæ commendant? Quid enim

enim est (: uni è plurimis Christiano Romanae Curiae Tullio, Dalma-
tarum gloriae Hieronymo peroranti aurem date :) Quid est aut tam
admirabile, quam ex infinita multitudine existere unum, qui id, quod
omnibus naturâ sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut
tam jucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis,
gravibusq; verbis ornata oratio, atque perpolita? aut tam potens,
tamq; magnificum quam populi motus, judicum religiones, Senatûs
gravitatem, unius oratione converti? Enimverò surgit ad dicendum
coram infinita multitudine, in qua animorum, ac geniorum tanta sit,
quanta corporum dissimilitudo, apparet unus inter innumeros subli-
mis orator, nudus sinè armis, sinè præsidio, sinè satellitio, coram ex-
tat, omniumq; ora, atque oculos in se unum convertens, ubi perorare
incipit, ita in auditorum mentes suos transfundit sensus, ut eo exul-
tante subsiliant, commiserante ingemiscant, fremant invehente, pol-
licente erigantur, horreant comminante, exprobrante indignentur,
irascente exardescant, remittente subito conquiescant. Deniq; arti-
ficioso elegantium verborum nexu, non secus, ac aureis catenis ex ore
profluentibus eò mortalium trahuntur animi, quò eos vehementia im-
pellit Oratoris. Ea propter refrigescat in eorum pectoribus debitus
pietatis cultus: Eloquentia velut admotâ face eum in sacris exedris
denuò reaccendet. Torpeat ad conferendas cum hoste manus miles;
Eloquentia eum martiali animabit spiritu ad prælium. Exulet in di-
scutiendis causis æquitas, & justitia: Eloquentia has rursus reducet,
suumq; in solum collocabit. Insurgant bellorum turbines: Eloquen-
tia eos in optatam convertet pacis malaciam. Rapiat mortales in
omne nefas audacia, & libido: Eloquentia his frenum injiciet. Sva-
deat denique malitia omnem sine lege vivendi licentiam: Eloquentia
mortalium pectora certos inter limites melioris vitæ constringet. Ut
verè de illa dici possit, quod cecinit Vates:

Illâ regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ex adversò, fac Eloquentiam ab hominum contubernio exulare,
fac regiam Dominationis ejus majestatem ruere, Deus immortalis!
quanta in omnes ordines calamitatum diluvia redundabunt! Videbi-
turbulentissimas illicò tempestates excitari; in ultimam usq; Thulen
proscribi justitiam, Divinas æquè, ac humanas proculcari leges, domi-
nari scelera, nulla improbis supplicia constitui, nulla bene meritis de-
cerni præmia, quia etiam ab sceleratissimis hominibus, nemine in eos
lingvæ gladium stringente, & prementur innocentes, & opprimuntur;

eliminatisq; æquitate, pace, concordia, virtutibus omnibus, improbitas, iniustitia, perfidia grassabuntur, ac orbis totus è concordia domicilio in furiosorum hominum, perditorumq; receptaculum convertetur. Ad extremum quæro ex te Condiscipule Antagonista. Quomodo tu Rhetoricam improbitatis arguis, quam non solum commendârunt, verum etiam professi sunt sanctissimi pariter, ac Doctissimi Ecclesiæ Patres? Tunè Eloquentiæ Magistros Cyprianos Carthaginenses, Aurelios, Augustinos, Hieronymos Stridonenses, Arnobios Afros, Lactantios Tirinianos, Bellarminos toto orbe celebrata doctrinæ, ac sanctitatis oracula erroris condemnare audeas? Fierine potuit, ut Rhetorica tot enumeratorum à te criminum rea tanti nominis viros, & panegyristas habuerit facundissimos, & Professores acuratissimos? O illustris Eloquentia (: magni Nazianzenorum Oratoris Gregorij verba recito :) O illustris Eloquentia, præ cæteris omnibus te volo; hâc DEI laudes celebros; hâc vitiorum robur frango, hâc virtutem debitis in Cœlum encomiis fero, hâc etiam, dum hic versor, animum à corpore sejungo.

Videte nunc sapientissimi Patres, tuq; imprimis æquissime causarum moderator, quam de Rhetorica per summam infamiam in jus vocata sententiam feratis. Videte ne inanium verborum antagonistæ mei delusi fallaciis, in veritatem peccetis, infantiq; Eloquentiæ poenas, ac supplicia decernatis: Quin potius sapientissimo vestro iudicio, eam ab omni calumnia vindicate, quam ego non solum innocentem declaravi, sed etiam non levibus adductis rationum momentis humanæ societati utilissimam, & necessariam esse Dixi.

DELIBERATIO.

Utrum animus hominis res temporales amore prosequi, adeoq; an beatitudinem suam ab eis petere debeat?

Pro parte affirmativa

Tempus.

Nisi & longior, ac supra quinque millia annorum spatium usus me in virum constantem solidâset, & vestra viri sapientissimi æquè, ac religiosissimi in dijudicandis rebus æquitas animaret; esset profectò, quò meæ causæ diffusus, de ea non modò penitens actum esse ipso dictionis in principio clamarem; verum abjectâ prorsus omni victoriæ spe, ne mentione qui-

quidem illius in venerando hoc iustitiæ senatu factâ, ad perpetuum
eam silentium amandarem. Quis enim sperare audeat litem suam de-
sideratum finem sub eo sortituram Iudice, cujus animum à suis longè
alienum partibus in ipso congressûs initio clarum habet, & perspectum.
Animo simul & lite cadat necesse est, qui diribitorem litis æmulum
causæ habet. Etiam Tullij in Rostris metu non vacant, quando Hor-
tensios, & Antagonistas vident, & iudices. Si unquam aliàs, tum certè
in constantem virum timor cadit, dum ab eo se damnatum cernit,
à quo salutem expectabat.

Verùm sternantur licèt ad vehementiorem hunc flatum ij, quos
neque adversi casus in adamantes indurârunt, neque longior experien-
tia, in bases stabilivit, neque provectior ætas in marmora solidavit.
Ego certè qui duris, & asperis longo usu exercitatus, & agere, & pati
fortia didici, non minùs vestræ Patres venerandi pietati, quàm causæ
meæ confusus æquitati, me prosterni non sustineo; sed pace tuâ The-
mis æquissima pro æquitate peroraturus assurgo. Cogit me nimirum
in voces veritatis apertæ conditio; animat in verba animata rerum
temporanearum pulchritudo; urget ad dicendum pulcherrima in
creaturis, bonisq; sublimaribus relucens conditoris imago; & quod
certum potiundæ victoriæ pollicetur spem, impellit ad loquendum su-
premi Numinis rerum bonitatem in primo earundem exortu dilau-
dantis authoritas. Dicam ergo, & tua quidem iustissime Iudex aspi-
rante veniã dicam pro æquitate causæ, quod ratio svadet, quod salvâ
æternorum excellentiã temporaneorum bonitas exigit, quod ipsa su-
premi Conditoris authoritas æquissimo jure videtur exposcere. Dicam
res temporariis fervientes inæstimabili præditas esse bonitate, atque adeo
humano amore dignas, & non tam aspernandas, quàm cunctis ample-
ctendas mortalibus.

Quod ut fulgidâ luce clarius appareat, animis adeste AA. & men-
tes cum oculis in ipsam creatæ bonitatis perfectionem, ac excellen-
tiam defigamus. Hic ego Theosophorum, & loquendi formam se-
quutus, & doctissimæ subscribens opinioni, Dico, & concludo gemi-
nam in rebus creatis reperiri bonitatem. Extrinsecam unam, & eate-
nùs boni nomenclaturâ insignitam, quatenùs hæc, aut illa res bona,
talis esse dicitur per ordinem ad finis illius, cujus gratiã in rerum natu-
ram posita est, consecutionem. Intrinsecam alteram, rebus singulis
propriam & in prima sui productione ab inexhausta illa supremi crea-
torum opificis bonitate participatam. Utramq; voluntati creatæ ob-
jecti-

jectivam, & rationali amore non indignam. Quis enim nisi alienatæ à recta ratione mentis charum non habeat id, quod designationibus suis favet, suoque fini adlaborat, atque ad optatum terminum vota promovet. Quis non eo ipso, quod increatam diligit bonitatem, etiam ab ea emanatam creatæ bonitatis amore prosequatur portionem? Inexhaustus omnis boni fons supremum numen est; res in mundum editæ fontis istius rivi sunt. Qui pretioso amoris auro fontem hunc coronat, derivatos ab eo rivos non fastidiat. Et certè quis tam morosam sortitus indolem, quem tædio afficiat amabilis illa tot pretiosissimorum seu lapillorum, seu metallorum pulchritudo? ad cuius aspectum naturali quodam motu humanus gestiens animus, oculis hilaritatem, amœnitatem vultui, serenitatem fronti, pectori lætitiâ, gratiam, & risum ori, toti deniq; homini liquidissimam infundit voluptatem. Sensu careat, & vitâ necesse est, quem ad sui amorem debitum Virtutis præmium Honor, & gloria non alliciat. Insigne latentis in animo honestatis indicium est, laudibus duci, & ad præclarè agendum celebritate nominis animari. *Trahimur quippe omnes, Ciceronis verba recito, laudis studio. & optimus quisque gloriâ ducitur.* Hinc *gloriosus*, quod gloriosus observat Cassiodorus, *magis placent præconia, quàm tributa.* Quid jam de sericis, moschatisq; dicam vestium ornamentis? quæ non integendo solùm adornandòq; corpori, sed oblectandis quoque intuentium animis, atque ad sui appetentiam provocandæ voluntati suprema constituit providentia.

Verùm exigua hæc Harpocratis pressisse digito sufficiat; longè maximam meo firmitatem argumento, rebûsq; conditis æstimationem dabit ac splendorem, quæ in eis velut in tersissimo speculo relucet divinæ venustatis imago. Hanc tametsi cuilibet earum etiam abjectissimæ insculptam esse non ignoramus; illis nihilominus, quæ cæteras nativâ nobilitatis luce superant, excellentiori quadam ratione impressam, & communicatam minimè dubitemus. Divinæ nimirum excellentiùs participatæ pulchritudinis est argumentum externa fulgoris specie præeminere. Ut enim Salamones arguit eminentis sapientiæ, Alexandros elata fortitudo, Croesos excellens opulentia, Tomisses plusquàm fœminea virtus, Semiramides inusitata orbis potentia; ita præfulgens in rebus creatis splendor insigniorem Creatoris commendat venustatem. Et erit aliquis, qui Divinam hanc in temporaneis supremæ Majestatis imaginem æstimatione minùs dignam censeat, ipsumq; in pulcherrima conditorum specie Conditorem amarari temera-

merario ausu prohibeat? Apage injuriosos istos Divino Numini Misoctifos. Quibus increata illa Bonitas tam largo sese infudit alveo, non sunt aspernanda, at extollenda laudibus, amorisq; complectenda ulnis opera Dei. Quorum encomia ego quoq; liberaliori stylo prosequer, nisi ipsum universi opificem disertissimum illorum encomiasten jam olim ab initio temporum fuisse, è Sacrationibus mundi conditi Fastis didicissem. Ad primam Geneseos paginam oculos reflectite, & quali opera sua Numen celebret elogio perlegite: Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Ergone tam luculento, & ipsius increatæ veritatis testimonio rerum conditarum bonitas comprobata? Quis eam ausit in dubium revocare? quis Ægyptiorum, aut Brachmanum superstitionem credat eidem amoris pensum tribuere? quæ vel ipsum Deum non solùm panegyristen facundissimum, verùm etiam attestante sapientissimo regum, amatorem castissimum habere promeruit. Diligis omnia (: Salamonis sap. 11. ad supremum Numen conversæ apostrophi aures date:) diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Tanta nimirum rebus conditis indita est venustas, & gratia, ut Conditorem ipsum in suavissimam sui provocet dilectionem. Quid præclarius? quid excelsius? quid divinius allegari potest pro eminenti laude, & amabile temporaneorum bonitate? Manet ergò suum thesauris pretium, manet sua honori æstimatio, sua rebus gratia, sua deniq; excitanda hominum amanti nata bonitas, & pulchritudo creaturis. Quas quia temperandis vitæ mortalis calamitatibus, atque ad prælibandas futuræ apud superos beatitatis delicias ex abyssu nihili eduxit, amari ab hominibus, & procurari non inhibuit omnipotens.

Eant nunc, & vilitatem creaturarum exaggerent, opera DEI aspernentur, temporanea contemptui habeant Misoctifi: cùm tamen ea & verbis extollat, & amore prosequatur amor increatus.

Verùm quid ulterius in commendanda creatorum bonitate mea desudat oratio? quid validiora conquirò argumenta, quibus amabilem eorum venustatem, nativumq; à Divina pulchritudine participium demonstrerem? quandoquidem coram illis me differentem circumspicio, qui æquissimâ judicis sui bilance jam pridem omnium prærogativas ponderantes, disertissimos rerum condituram egerunt panegyristes. Nolo hic in nominandis alijs inclinatum ad silentium, properantemq; ad exitum dictionem meam renovari. Te unum compello, stabilien-
dæq; opinioni meæ irrefragabilem testem volo Augustine! Memineris

C

Sapien-

Sapientissime Pater in eo, quem de Civitate DEI elucubrasti Tractatus libro II. cap. 21. talia te posteritati transcripsisse documenta: Tria quædam (: à tuis ne latum unguem discedo verbis :) tria quædam maximè scienda de creatura nobis oportet intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, cur fecerit. Si ergò quærimus, quis fecerit, Deus est: si per quid, dixit Fiat, & facta sunt: si quare fecerit, quia bonus est. Nec enim author est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quàm ut bonum crearetur à Deo bono. Postremis his insisto verbis; Repeto: Quàm ut bonum crearetur à Deo creatum est. Te quidem attestante, me consentiente, æquiore iudicio non refragante. Dixi.

+ bono. Aram igitur est quod à Deo.

Pro parte negativa Æternitas.

AD fascias, & cunas, primosq; puerilis ætatis annos Te dierum antiquissime in senio tuo rediisse, adeoq; à tumulo vivendique meta non longè distare luculenter comprobasti; quando pro iis, quibus mortales & ludunt, & luduntur nucibus tantâ contentione coram venerando hoc Senatu perorasti. Et profecisses opinor aliquid, comptulisq; illis tuis ephœbulis (: hoc nominis fucis res temporis servientes expingere placuit: non parvum omninò amorem conciliasses; nisi in eum incidisses auditorem; qui quia Sapientiæ laude præeminens, maturiore pollet iudicio, nec externa rerum specie capitur, nec fucatis verborum lenocinijs, sed gravi rationum pondere persuadetur. Non equidem in ea versor sententia; ut aut cum maniaco erroris manichæorum architecto creaturarum aliquas omnes expertes bonitatis asseram; aut cum Alphonso decimo Castellæ Rege non ulla Dei operum melius ordinatiusq; à principio fieri debuisse infandâ blasphemiam deblaterem; aut denique cum injuriosa supremo omnium opifici Deo hominum desperatorum feceris conditas, non divinæ potentia, sed cacodæmonis opera ore maledico effutiam.

Nimis hæc à veritate aliena, nimis impia sceleratorum cogitata, summæq; illius injuriosa sapientiæ maledicta, qui ut coronatus testatur Psalmographus omnia fecit in sapientia. In illo solam agitatur quaestio: num eâ creaturæ polleant bonitate, quæ præ æviterorum excellentia sibi humanos jure vendicet amores, atque adeò num aliquid solidæ beatitatis tribuere sit apta immortalis animo mortalium. Quam

dum omni mea nisi impugnat oratio sententiam, Tuæ, geminam illam
in creaturis distinguenti bonitatem minimè refragatur opinioni. Enim-
verò cui non constat ab optimo totius boni fonte nihil nisi bonum
emanare potuisse? aut quis exitiosum asseverare audeat, quod incre-
ata Sapiencia homini ad supremam felicitatem promovendo medium
destinavit convenientissimum, Divinisq; illud laudibus celebravit. Non
igitur contendo suam rebus conditis eripere bonitatem, moderatum
temporaneorum usum, quo ad beatam promoveantur æternitatem,
non interdico mortalibus. At divitias, & honores, & quid quid hic
labitur, ac fugit, tanta contentione agitare, atque ab eis felicitando
immortali animo beatitatem corrogare, duraturis interim per ævum
bonis, aut segniter curatis, aut omninò neglectis, hoc ne utiquam pro-
bo, imò evidens indicium turbati cerebri, manifestamq; immaturi ju-
dicii notam assevero. Deliræ quippè mentis vitium prodit, infanti-
lemq; sapit ætatem posthabito pretiosiore metallo suas in pomis deli-
cias quærere, gemmisq; ac unionibus neglectis ad nuces & crepundia
convolare. Jam verò quid habent opes falsæ cum veris, lubricæ cum
perpetuis, exiles & terrenæ cum bonis Cœli immensis? quid evanidus
vitæ hujus splendor cum splendoribus Sanctorum æviternis? quid
cum purissimis, sincerisq; Superum gaudiis, infans, damnosæ cor-
pori, animo fatales brutæ voluptates. Denique vita hæc animis &
corporibus infesta, totaque putredini, ac sordibus immerfa, cum ju-
cunda illa perenni, nobili, ac verè felici? Habet, quod puerorum nu-
ces cum gemmis, crepundia cum margaritis, poma cum pretiosioribus
auri metallis. Ut verè de iis Imperator Antoninus cognomento Phi-
losophus dixerit: Omnia, quæ sub sensum cadunt, præsertim, quæ
voluptate afficiunt, vel dolore terrent, vel fastu elata sunt, quàm sunt
ait, vilia, & contemptu digna, quàm sordida, caduca, & mortua. Quæ
si loco, si tempore metiamur, quantula, DEUS immortalis! imò quàm
nihil esse censebuntur! Famã ex iis primùm quæ putantur gloriosissima
vobis objicite: Quàm illa brevi evanescit, quàm supinã oblivione mar-
cet, quàm incertis rumoribus impellitur, quàm arcto hominum nu-
mero definitur, quàm angustis locorum spacijs circumscribitur. Quid
enim terra cœlo comparata? punctum est. Quid anni laudibus, &
celebritati nominis destinati? quamvis sæcula sint, instar puncti quoq;
laudatores tui, qui si conferantur cum omnibus hominibus, admodum
pauci, & quod probò sit, mali, tecum circiter aut non multò post peri-
turi. Nec est quòd multum solatij à tui post obitum apud superstites
futuri.

futura speres memoria: præterquam enim quòd parùm, aut penè nihil commodi hæc in mortuos dispenset, exiguum valdè suæ durationi tempus præfinitum habere consuevit. Diebus nempe pauculis experientiâ docente, gloriosa hæc defunctorum commemoratio circumscribitur. Multum, & ferè quid insolitum est, si hujus suæ celebritatis octavam habeant. Quid enim? vix sarcophago inclusum effertur cadaver, vix terræ mandatum corpus vermibus in escam apponitur, vix celebratis exequiis pauculi occumbunt soles, & ecce omnis illa mortuorum laudatio conquiescit, omnis honor & gloria cum iisdem sepulta computrescit. Quid jam de titulis, quid de strepera illorum dicam gloria, quibus mirum est homines capi posse, ac intumescere: ita sunt omnia in iis ridicula. Et quis non rideat plurimos compelli altissimos, quorum animo nihil vilius, & abjectius: clementes si mos alios proclamari, qui vel Neronis crudelitate superant: alios nuncupari serenissimos, quibus nihil tumultuosius, & impotentius: Illustrissimos deniq; salutari non paucos, quibus, si aut dignitatis, quam indigni gerunt, larvam detrahas, nihil obscurius, aut avitas majorum ceras eripias nihil calamitosius reperies. Aurum verò ac gemmæ quid? quid argentum, umbra, moschus, & serica? si per se cernantur, rejectamenta sunt naturæ, & animantium, paululum per homines interdum immutata. Nisi fortè regnis, & imperiis pretium ponimus? at oculos in æthereas illas cœlestis dititionis plagas intendite, & quæ vastissima creditis, tantùm non atomos regna mundi videbitis. Insanas artium, & villarum molitiones, superbas palatiorum structuras quid memorem? aurei Oratoris testimonio luteæ puerorum domunculæ sunt, pedis impulsu proruendæ. Et poterit hoc luto humanus felicitari animus? his puerorum nucibus exsaturari mens possidendis Cœli deliciis condita? atomis istis plenè contentari ipso immensior cœlo spiritus? evanescente hoc rerum terrenarum continuis mortibus pereuntium vento immortalis vita vivere? O mortales (: vobis enim temporanearum rerum studio totis quantis immeris ista peroro æternitas:) usquequo gravi corde, ut quid diligitis, quid fugientem insectamini vanitatem? quid tanta contentione, tantis impendiis quæritis mendacium? Quousque fatali sopore pressi in utramq; aurem stertitis? quamdiu sopitam inanibus mentem lusibus occupatis? Expergiscimini tandem, veterum excutite, aperite oculos; & quibus tantopere infelices Tantali inhiatis mundi bonis, mera esse poma, imò omnia somnia etiam atque etiam cernite, ne mortifero delusi errore, posteaquam vitæ hujus mortal-

talis nocte transacta somnum vestrum dormiveritis, nihil, quod immortalam animi vitam per ævum sustentet, reperiatis in manibus vestris. Non est, credite, non est mortale, quod optat, aut quo satiati velle expleatur æternitati conditus animus vester. Cœlum illi patria, immortalitas vita, in quo uno felicissimè conquiescat, centrum, & finis Deus est. Nunquam ille quietus aget, nisi hoc potiatur centro; æternum emoritur, nisi huic nascatur vitæ; stygijs per ævum exulabit in oris, nisi ad hanc patriam perveniat.

At replicantem hic audio Antagonistam: Non sum, reponit, illius mentis, ut supremam hominis felicitatem extra beatas illas cœli regiones constituam: immortalam mortalium animum pleno, folius Dei immortalis participio omni ex parte beandum non refragor: in eam nihilominus opinionem abire, quæ omnem à rebus temporaneis felicitandi hominis potentiam excludit, non rationi solùm difforme, sed & ipsi experientiæ repugnans esse existimo. Habent, inquit, sua creaturæ mella, quibus lautissimè cœlestem illum terreni corporis pascant incolam; habent nectar, & ambrosiam, quæ Deorum affinem potent animum; habent venustatem, quæ natum amoris spiritum ad suavissimos sui pelliciant amores; habent delicias, quibus ectypam intellectus Divini humanam mentem molestis ærumnosi corporis, vitæq; miseriis fatigatam relevent, atque ad earum quibus premitur calamitatum inducant oblivionem. Præclaras sanè, ac exquisitas pro immortalis animo cupedias. Brutarum nares pecudum, non divinæ naturæ participem spiritum nidore isto allexeris. Manucodiata est, si nescis, mens humana: quid ei pinquiores obtrudis terræ bolos, quæ terras exosa, cœlestium duntaxat solatiorum rore pascitur, æthere-~~æ~~que Divinæ gratiæ sustentatur ambrosiâ? Nec undæ flammæ nutriunt, nec temporanea æternitati natum animum felicitant. Et quid obsecro solidæ beatitatis victurus per ævum spiritus ab interituris accipiat? Immortale sit, necesse est, quod nunquam morituram animam exsatiat. Quid autem in hoc rerum præcipiti, ac torrente decursu reperias, quod non delabatur cum aquis, dissipetur cum fumo, evanescat cum bullis, cum spuma in auras abeat, & cum avolante tempore intereat? Quidquid hinc tempus peperit, idem secum jugi vertigine abstulit. Illud solùm fixum, & immobile semper stat, quod æternitatis in jura transit. Quibus oppignorata ipsa putabatur perennitas, ubi sunt? Illas in Ægypto portarum centum Thebas, quibus singulis Reges educebant decem millia armatorum princeps adolescens non magno exercitu dele-

vit. Superba illa Dardaniorum Regum pergama per integrum decennium integris Græciæ viribus oppugnata, unicus finonis astus expugnavit. Quinsajum Urbem præteriens Marcus Polus octogies dena hominum millia in ea recensuit; paucis inde annis Nicolaus de Comitibus, & solo æquatam, & restitui jam formâ aliâ cœptam aspexit. Nive, Ecbátana, Babylon, Ægypti pyramides olim decantata perennitatis monumenta, nōstris sæculis vix à solius nominis umbra nota. Ubi regna? ubi imperia? ubi thesauri? ubi opulentissima gazophylacia? ubi præpotentes eorum Domini, & possessores? animos quidem ipsorum mihi à morte transcriptos maxima ex parte in tormentis habeo, potentiam, opes, & gloriam penitus non reperio. Quò nunc eorum honor? quò dignitas? quò abiit æstimatio? ubi splendor? ubi applausus? ubi memoria? Evanuerunt omnia, quia ut Nazianzenus tractatu de vitæ itineribus loquitur, mera erant insomnia.

Hiccine ergò est aheneus ille, & insuperabilis murus? hæc columna saxumq; immobile, quò perpetua hominis beatitas fulcitur? Hoc inexhaustum illud ærarium, è cuius conditoriis felicitando per ævum animo sumptus, & impendia depromuntur? Erras, erras, quis quis huic rerum momento immortales annos salutis, misero huic, ac vili nihilo summam beatæ felicitatis postponens, à temporaneis, & perituris bonis nunquam morituræ animæ solatia mendicis. Pereat enim necesse est felicitas ejus, effectivo interunte principio felicitatis. Non finem creaturæ rationalis perfectè satiativum, sed consequendo huic fini medium res creatas voluit Deus. Nullus igitur temporaneorum aut usus, aut fructus, nisi ad æterna.

I, nunc antagonista, caducorum amorem in tuam abeuntibus sententiam chronophilis in genera: beatos illos, quibus hæc sunt, ad usq; ravim declama: clamabit profectò vel me tacente adversum te ille, qui cum coæcervasset sibi argentum, & aurum, & substantias regum ac provinciarum, supergressusq; fuisset opibus omnes, qui ante illum fuerunt in Hierusalem, tandem in omnibus his aliud non reperit, nisi vanitatem, & afflictionem animi. Quid huic opus Antiochos Epiphanes, Balthasares Babylonios, Herodes Idumæos, & sexcentos alios in scenam producere? se quisq; in medium ponat, & an aliquando solidam, omniq; absolutam tædio in rebus humanis nactus fuerit quietem dispiciat. Felix, terque, quaterq; felix, qui avocatum à temporaneis mentem ad ea transportat bona, à quibus solis immortalem hominis animum plenè felicitari Æternitas Dixi.

CORO.



CORONA
FAMILIÆ CSAKIANÆ

Sex pretiosis Lapidibus illustris

Illustrissimis Dominis Comitibus

THOMÆ & MICHAELI CSAKI
de Keresztzsegh; dum Supremâ Philo-
sophiæ Laureâ condecorarentur.

Ab

EMERICO GÖRGEI de Eadem
Præ-Nobili Ungaro Rhetore è Convictu Nobi-
lium oblata.

I.

MAGNES.

Sive

SOBOLCHUS Dux alter Ungarorum, ex quo Csa-
korum gens magna defluxit. Bonfin. Dec. 1.
lib. 9.



Conueniens est, ut inde suum ducat exordium
panegyris; unde suam derivavit originem illa, cui
tributa laudum pendimus Corona. Magneti primas
damus, coloris quidem vilitate in pretiosiore lapillo-
rum familia penè ultimo; virium admirabilitate ne-
mini secundo. Secundum in secundo Hunnorum in
Pannonias ingressu Capitaneum, Primum magnæ Csakiorum gentis
Paren-

Parentem Sobolchum Magnes refert. Hic vir hic est, cujus heroica virtus nec inviis montium accessibus remorari, nec arduis fluminum ripis arceri, nullis itinerum difficultatibus prohiberi, nullis rerum angustijs coarctari potuit, quò minus in apertos Pannoniæ campos penetraret. Imò nunquam arctari magis nescia, quàm dum Arcticum haberet polum Ungariam. Nimirum semper eundem magneticus chalybs intendit axem, quocunque etiam altissimorum murorum obyallatus præsidio. Quòd ab infœcunda Meotidis regione ad terram lacte & melle manantem ferrei Scytharum populi tractu non infelici se tractos gaudeant, Magneticæ Sobolchi non postrema ex parte debent virtuti. Quæ in hoc saxeam illam Magnesiæ cautis vim exuperat; quòd ea ita se ferro communicet, ut de ferro in ferrum ultra decimum non transeat; hæc in tot generationes successivè transfusa est, quot nongentis quinquaginta & uno annis Illustrissima Csakiorum profapia numeravit. Nec illud à veritate alienum, quod de amico ferri lapide recitat Mardobæus:

Gratia præstatur simul & suadela per ipsum
Sermonisque decor, disceptandique facultas.

Quam in facundissimis Sobolchi nepotibus nostra suspiciunt tempora facundiam, eâ ipsum claruisse Sobolchum à posteriori demonstratur. Qui inter Septem Primos Ungariæ Viros Secundus Secundam semper expertus fortunam, vectigalem quidem sibi fecerat felicitatem: in eo tamen dolendus, quòd nondum orto in Pannonia veræ fidei sole, atrum Magnetis imitatus colorem in idolomania tenebris vixerit, melioresquè Christianæ lucis dies non viderit. Nisi fortè quam nos Coronæ insignimus nomenclaturâ, tu opulento foetam gemmarum fructu Regis Indorum arborem Illustrissimam Csakorum appelles familiam. Cujus prima Sobolchus radix, dum in lucem nobilissimas nepotum frondes extrudit, ipse extra omnem fidei lucem sub cœca gentilitatis tellure delitescit.

II.

CARBUNCULUS.

Sive

*B. MAURITIUS CSAKI Ordin. Prædicat. Vita
sanctimonia & miraculis clarus. Sigism. Fer-
rarius de reb. Ung. Prov. Ord. Prædic. fol. 143.*

Quis-

Quisquis gentilitium Mauritij splendorem, & rara
clarissimæ Virtutis decora spectare cupis, in ardentium la-
pillorum principem, & lucentium gemmarum regem Car-
bunculum oculos reflecte. Nihil non serenum ac lucens
in carbunculo, nihil non nobile ac eximium spectabis in Mauritio. Ra-
rioribus uterque præfulgens dotibus, pretiosus uterque. Ille nativâ
fulgoris luce lucidissimorum æmulatus nitorem astrorum etiam noctur-
nas per tenebras ardentissimæ ad instar faculæ Consulium nitet in digi-
tis, regificis superbit in coronis, Divis insertus fulgurat in aris. Iste cum
Serenissimis Hungariæ Ducum clarus Natalibus, tum eminentis Sancti-
monia coruscans radiis, non insigni solùm Nobilissimam suæ Prosa-
piæ Coronam locupletat ornatu; verùm illustrissimo Virtutum suarum
lumine totum Hungaricum orbem irradiat. Ob innatæ lucis splen-
dorem Soli Carbunculum sacravit antiquitas: Qui à primo sui exortu
non nisi ipsum Patrem spirabat luminum, in adultiorem ætatis prove-
ctus meridiem, ubi exiguas mortalium rerum umbras, & terreni splen-
doris ignes fatuos esse clariùs perspexisset, totum se se æterno Justitiæ
Soli genuinus increatae lucis filius consecravit Mauritius; Et licet ini-
mica hujuscemodi oblationis amicorum turba ad eum à proposito di-
movendum omnem moverit lapidem; plus tamen non profecit, quàm
aut tundentium malleorum ictus, aut æstuantium flammaram ardores
in Carbunculum: ex quibus ille venustior egreditur, & gloriosior,
ferrum contemnens nulloq; domabilis igne.

Non minùs Mauritius. Cujus solidissima virtus nec ferreo Soceri
Palatini genio conteri, nec asperis verborum telis vulnerari, nec rigidis
amicorum debilitari minis, nullis à pretioso religionis vinculo evincu-
lari vinculis, nullis eblandiri blanditiis, nullis calamitatum flammis po-
tuit triumphari. Imò quò istæ sæviebant vehementiùs, eò illustriores
ille perfectioris vitæ radios evibrabat. Nimirum Carbunculus, si Phi-
siognomis, & Mangonibus fides in acre projectus acetum lucere con-
suevit sereniùs. Sed neque illa, quam in profligandis venenis, non
ignobilis inter Scriptores Mylius pretioso huic lapidi tribuit, virtus de-
siderata in Mauritio. Hanc ille cum in propulsatis repenti ab Ordinis
sui Fratre febribus vivens, tum in deterio ab oculis cœci glaucomate
mortuus, beneficis exercuit Archiater. Deniq; levatus in altum Car-
bunculus ardentiùs effulget: ab humili vitæ mortalis valle ad subli-
mem æternæ felicitatis deportatus montem, & interstellatos gazophy-
laci Divini thesauros illatus, in perpetuas æternitates gloriosissimè ful-
get Mauritius.

D

III.

III.
HYACINTHUS.

Sive

CAROLUS CSAKI, vulgo Char, seu Charus Germanus B. Mauritij, ex Ordine Prædicat. Spectata Virtutis; præsertim Castimonia, cujus Virginalem florem toto vitæ tempore inviolatum conservavit. Sigismund. Ferrarius de reb. Hung. Prov. Ord. Præd. fol. 154.

Carbunculo Hyacinthum, Carolum nectimus Mauritio. Ut eodem Saphiro progenitore cum Hyacintho Carbunculus; ita eodem Patre Demetrio Bano, eademq; Sacratiore Matre Divi Dominici Religione cum Carolo gaudet Mauritius. Consanguineus Carbunculo Hyacinthus, Germanus Mauritio & nascendi conditione, & vitæ professione est Carolus. Quem ob illibatum Castimoniae florem conscientiae ejus arbiter Angelum nominavit; ob affabilem cum omnibus agendi rationem, Deo & hominibus *Charum* Religiosi dixerunt Fratres; nos ob eximiam submissionem, placidamq; ac mansuetam naturæ indolem compellamus Hyacinthum. Et quidni pretiosi hujus lapidis nomenclatura ei conveniat, qui rem & virtutes Hyacinthi vitæ repræsentat & moribus. Frigidior delitiosus ille lapillus sortitus naturam, extraneo resistit calori; Cùm nativam indolis adeptus temperiem, tum frigidiusculo Divinae gratiæ Carolus infusus rore, ita lascivos cœcæ Cupidinis à suo prohibuit igne pectore; ut totâ quam in fragili corpore vixit vitâ, nullam ab eorum æstu pateretur læsionem; devotamq; à primis tenerioris ætatis annis supremo Numini, ad usque supremum vitæ halitum illæsam conservaret, tumuloq; inferret Virginitatem. Delitiosa Hyacinthini coloris mollities quid nisi placidam Caroli mentem designat? qui adeo cunctos quibus cum vixit, benigno complectebatur animo; ut nemini gravis, omnibus in delitijs haberetur; non alio, quam Fratris *Chari* nomine vocitatus. In hoc solum Hyacinthino huic coloris discolor, quod iste sereno dum axat cœlo amœnus & hilaris, nubiloso obscurus compateat: Sive obscuriores tribulationum nubes integrent

rent animum, five sereniores cœlestium deliciarum eidem lucerent soles, nunquam mutatum, semper eundem, hoc est placidum, & amœnum exhibuit vultum Carolus. Cui meritò cum Venusino Vate accinas:

Est animus tibi
Rerumquè prudens, & secundis
Temporibus, dubijsq; rectus.

Quid jam de admirabili illa Hyacinthi virtute, quâ is ab gestante se ærumnas propulsare, imò fulmina ipsa arcere, ac ob hoc ipsum supremo deorum Jovi consecratus perhibetur? Id si fortasse aliquis fabulam esse censeat, veritas tamen est Carolum eò Patientiæ robore, eâ fiduciæ in Deum vi præditum fuisse; quâ & tristes ab animo curas procul remove, & vibrata ab adversantibus suo proposito amicis verborum fulmina prohibere consuevit: Vel ideo Divino pretiosus Numini. E cujus nutu uti perfectiorem inchoavit; ita felicissimè, & cum magna sanctitatis opinione quarto ab hinc sæculo vitam Jaurini consumavit; Sacræ Divorum in cœlesti Stephanophylacio insertus Coronæ.

VI. TOPAZIUS.

Sive

*Illustrissimus D. Comes STEPHANUS CSAKI,
Tavernicorum Regalium per Hungariam Magister, &c. moderni Excellentissimi Parens. Insignis Benefactor Soc. JESU, quam primus in Scepusum induxit.*

Quid periculosum in remotissimas Arabiæ terras pro colligendo Topazio iter suscipitis Gemmarij? qui in Pannonia insulas habetis Ophiades, in quibus pretiosorem illum terræ partem nanciscamini.

Ista Scepusiacas reperitur gemma per Oras.

Nec opus est ad eam investigandam ardentibus in manu lucernis: mirè splendens ac fulgida, & cum solaribus regionum favorum illustratur radiis, & cum nocturnis adversitatum circumfidetur umbris, ultro-

nè in oculos vestros incurret. seq; spectandam exhibebit. Vultis cla-
 riùs quisnam Topazius iste sit, vobis indicari? accipite: Est pientissimæ
 memoriæ Illustrissimus Comes STEPHANUS CSAKI, olim Rega-
 lium Tavernicorum per Hungariam Magister, Sacræ Cæsareæ Regiæq;
 Majestatis Consiliarius Camerarius, Terræ Scepusiensis Supremus ac
 Perpetuus Comes, Excellentissimi eidem Terræ modò Dominantis
 Illustrissimus Parens. Qui haud aliter ac Topazius in Ophiade, hoc
 est, Serpentinis Lutheri dogmatis infecta positus regione, non tantùm
 nullam pestilentissimi hæreson veneni luem imbibit, ac contagium;
 verùm, quod de Arabico illo Topazio non ignobilis scriptor Michaël
 Mercatus in suo de pestil. libro memoriæ prodidit, insigni suâ virtute
 immedicabile illud errorum toxicum à subditorum pectoribus felici
 planè depulit successu. Actum omninò & conclamatum de Tua Re-
 gij mater sanguinis Scepusia Tellus erat salute, si non maturam Tibi
 salutifer hic Topazius opem tulisset. Huic profectò, nisi sæculi nostri
 imbuta moribus accepti beneficij memoriam malegratâ ingritudinis
 oblivione sepelias, & conservatam in villis, & restitutam in oppidis or-
 thodoxam fidei debes sanitatem. Ne vel in plures serperet, vel quos
 funestissimè exitiosa illa lues corripuerat à mortali vita sempiternæ
 morti transcriberet, Septem è Societate Jesu peritissimos animarum
 Archiatros, egregiam curando illi malo navaturos operam ab amica
 sibi Austria evocavit: ditissimòque suæ charitatis auro, cujus fulgor
 in Topazio mirè rutilat, tandiù in Gentilitio suæ Ditionis Castro su-
 stentavit; donec solerti suâ dexteritate atque industriâ ad stabilem
 eos Capituli Scepusiensis Residentiam transportaret, ac pro perpetuo
 eorum & successorum usu de Beneficio Lapidis Refugij pretiosus ipse
 Lapis provideret. Cujus favori & gratijs nunquam non grata Scepu-
 siaca Jesu Societas, & viventem coluit ut amantissimum Patrem, &
 mortui etiamnum quot hebdomadis ad aras piè meminit ut insignis
 sui Benefactoris.

V.

ADAMAS.

Sive

*Excellentissimus Dominus Comes STEPHANUS
 CSAKI Perpetuus Terræ Scepusiensis, Comita-
 tûsq; Ejusdem Supremus & Hereditarius Co-
 mes*

*mes, Judex Curia Regia, Eques Auratus, Sacra
Caesarea Regiaq; Majestatis Intimus Consilia-
rius, & Partium Regni Ungaria Superiorum
Supremus Generalis.*

A Damanti, hoc est, nobilissimo terræ partui, delitio
Regum, frontium syderi, diadematum gloriæ, omnis pretij
mensuræ Heroïnas Tuas insculpinus virtutes Excellentissime
Domine Comes. Gemmæ si cui aliàs Tibi præ cæteris con-
simili: quæ invictâ suâ fortitudine quæcunq; solidissima penetrat, ac
perfringit. Quid enim non vincat, edometq; insuperabilis Adamas?
Undis immergas, incudi objicias, malleis substernas. flammis tumules;
semper erit Adamas, id est: Indomitus, Solidus, Invictus, Perennis,
Æternus: Sive ille, qui pretiosis evectus Indijs à Martiali illo cœli pla-
neta suam deducit indolem; sive iste, qui vetustissimâ primorum Un-
gariæ Ducum oriundus prosapiâ, inter primores Apostolici Regni
Procerum Uniones coruscat nitidissimè. Testor ferrea illa paucis ab-
hinc annis evoluta Ungaricorum tumultuum tempora; in quibus Tu
Excellentissime Domine Comes sævas, pavendasq; ferreæ fortunæ
vires expertus, impeti quidem à perduellibus potuisti, at minimè frangi.
Imò quò asperius sæviebant illi, eò Tu solidior effectus in ipsis penè
desperatis rebus constantissimè legitimo tuo adhæstisti Principi, Teq;
spontaneâ voluntate in obsessæ Urbis Viennensis incudem immitibus
illis Ottomanicæ Vulcanicæ fabris, Tuæ daturus experimenta Virtutis
feriendum projecisti. Agite crudeles Mulciberi, barbaras ad tunden-
dum aptate manus, extendite forcipes, malleos expedite, pretiosi La-
pidis nostri tentate robur, explore vires, probate constantiam; & si
cominus aut nequitis, aut reverberari metuitis; eminus rem urgete,
ferreas ab æneis machinis pilas in ipsum, quò tantillæ quieti indulgere
suevit stratum displodite! Nequidquam omnia: nihil terroris incutie-
tis, nihil affertis nocuenti. Adamas quippe ferreas ridet vires, illæ-
sus effugit ictus, vim retorquet in adversarios, reverberat malleos. he-
betat limas, frangit incudes Brontemq; Steropemq; enervat. Non re-
fragor equidem eruditissimo Historiæ naturalis Scriptori Plinio asse-
renti triumphatorem ferri & flammaram Adamantem repenti hircor-
um delibutum sanguine distringi; at unâ experientiam hanc in eo,
cujus præconia dicimus Adamante suum sortiri effectum non admitto:
D 3 qui

qui nec immitibus adversariorum ictibus mitigatus, nec mollibus amicorum, defectionem suadentium blandimentis emollitus, semper invictus enituit & integer. Adamantes ex inaccessis vallibus ab aquilis in montes eportari, nisi Paulo Veneto fidem haberem, exemplo me Tuo Comes Excellentissime docuisses: quem magnarum alarum Romani Imperij Aquila, Augustissimus Cæsar, idemq; Serenissimus Ungariæ Rex Leopoldus, ex depressa illa, in quam cum eodem Principe Tuo fidelis minister decideras persecutionis exportatum valle, in sublimi dignitatis monte collocavit; Et Te non Generalistantum, sed Supremi Regiæ Suæ per Hungariam Curiaë Judicis, imò quod admodum raris, & non nisi excellentioribus Ungariæ Magnatum Unionibus concessum, Intimi Consiliarij munere fungi jussit. Idquè, ut patentes ad perpetuam Tui commendationem emanatæ ab Aula Cæsarea Literæ loquuntur, *ob præclara Tua merita, servitia, virtutesq; eximias; prudentiam item & experientiam, ac illibatè conservatam his difficillimis intestinorum motuum temporibus erga se fidelitatem; expositibus id ipsum in proximè præterita Regni Ungariæ Dieta, fidelibus Statibus, & Ordinibus.* Tomo integro, non mediâ pagellâ opus haberem, si omnia Tuarum Virtutum decora, & cum nobilissimo gemmarum principe Adamante affinitatis argumenta vellem recensere. Vive interim Excellentissime Domine Comes Adamas pretiosissime, ad majorem Illustrissimæ Tuæ prosapiæ splendorem, ad Patriæ, cujus obsequio Te, Tuâq; omnia impendis, emolumentum; ad solatium charissimorum filiorum Tuorum: quos cum eximiis non naturæ solum, sed & gratiæ donis ornavit, Tibi in Eis abundè benedixit Dominus, Vive! & Clientum Tuorum minimo fave!

VI.
OPALUS.

Sive

Illustrissimi Domini Comites THOMAS & MICHAEL CSAKI, AA. LL. & Philosophiæ Magistri.

Quos per varias gemmarum species beneficia dispersit, eos in unicum collegisse videtur Opalum natura colores. In quo Carbunculi, & Saphiri tenuior ignis, Amethysti,

thyſti, & Rubini fulgens purpura, Jaſpidis & Smaragdi virens mare
cum nativo lactis candore incredibili mixtura tralucent. Gemma, uti
inter *νεανέγοι τωσ*, id eſt Juvenibus delicioſas nemini ſecunda; ita exhi-
bendis eorundem dotibus maximè idonea. Vos hìc mihi conteſtari
liceat Illuſtriſſimi Academiae Juventutis Soles, nobiliſſima Parthenij
coëtus decora, viva MARIANÆ pietatis ſimulacra THOMA & MI-
CHAEL de Comitibus Csaky. Ut omnia in Vobis illuſtria, & ex-
celſo animo digna, ita pretioſis venuſtiſſimæ hujus gemmæ dotibus
aſſymbola relucent ornamenta. Nitidiſſimis ad inſtar coruſcantis
ſtellæ carbunculi flammis rutilat Opalus: Vos delicioſo lectiſſimarum
virtutum ſplendore, aſtrorum imitati jubar fulgetis amœniſſimè. Vul-
nerarem ego fanè non veritatem quidem, ſed ingenitam modeſtiam
Veſtram, ſi vel ſingularis illius pietatis, quæ in Vobis veluti lucidiſſi-
mum ſidus emicat, vel moderati animi, amabiliſq; ſubmiſſionis Veſtræ
acta pagellæ huic inſcriberem. Et hujus quidem toties luculentiffima
exhibetis argumenta, quoties pulcherrimo ſpontaneæ humilitatis ex-
emplo, & errata Vobis in publico Parthenicorum Sodalium coetu pro-
palari poſtulat; & Præfecturis ipſorum ita fungimini congruenter
ac modeſtè, quaſi eorum aut pares aut minores. Pietatis verò quid
exempla requiramus in chartis? exemplum ipſi eſtis in omnium oculis
publicum. Ita ſub aſpero etiam & argente Jove in Sacris Odæis ac
Templis, habitisq; per Urbis compita Supplicationibus Virtuti huic ad
omnia utili vacatis; ut non ſine liquidiffima geſtientiſ animi voluptate
omnium ora, atque oculos in Vos convertatis Magnæ profectò in
Regia hac Urbe authoritatis Vir, dum præterlapſis temporibus ſæpiùs
Vos in Æde Sacra oculis ad modeſtiani compoſitis, manibusq; in cœ-
lum protenſis comprecantes obſervâſſet, in hunc ferè ſenſum ſui de
Vobis animi ſenſa declaravit: *Comites iſti exempla ſunt pietatis, de-
cus & ornamentum Philoſophiæ Caſſoviendiſis.* De rubricante Opali
noſtri colore nihil ambigite Mangónes. Et Amethyſti purpuram, &
Rubini muricem oſtentat. Quamvis . . .

Non rubet in collo, ſed fratrum fronte Rubinus,
Virgineo vultu gemma pudica rubet.

Jam verò ſi Smaragdino ſuo virore ſpem bonorum eventuum Opa-
lus designat, quid non in Vobis & Excellentiffimus progenitor Veſter,
& Univerſa ſperet Ungaria Optimæ apud omnes Spei Illuſtriſſimi Do-
mini Comites. Non poteſt fanè maxima omnia non polliceri nobis
nobiliffima illa, & ludicrarum illecebrarum contemptrix, indoles ere.
Itaq;

Itaq; ad sublimia consecranda mens Vestra. Cui, ut otij & inertiae odium, ita Literarum Solers industria, & tam ardens eruditionum inest cupido; ut non dubiè conicere liceat, eximium olim à Scientiis & Sapientia splendorem Vobis accessurum. Quid ajo, accessurum: Jam nunc conspicio sollicitam Palladem adornare honorum subsellia, ad erigenda operoso labore theatra evocare Phidias, & Praxiteles, ad elaborandas ingenioso penicillo Vestras in imagine Virtutes excire cum Protogene Apelles, Hercules Gallicanos ad concinnanda laudum præconia accersere. Imò jam festivi resonant per æthera plausus, acclamatur Pæan! depromuntur honoris insignia, triumphales stragyreæ gloriæ Vestræ eportantur Coronæ. Pergite Illustrissimi Domini Comites, inclinate caput, debitas eximiæ Virtuti, ac Sapientiæ Laureas pretiosis verticibus excipite. Facient Superi, ut, qui in juvenili ætatis flore jure meritissimo aliis Excellentiores promulgamini, in adultioribus annis plus quàm Excellentissimi audiatis. Et quæ à non-gentis quinquaginta & uno hucusque annis effulsit Csakianæ Nobilitatis Corona, Eadem majoribus per Vos aucta splendoribus, ad decrepitem usque Orbis senium fulgeat gloriosissimè! Ita velint, faxintq; Superi! Ita precor, ita voveo!

*Minimus Clientum Vestrorum
Emericus Gorgei.*



Umg. VI-61

ULB Halle

3


004 113 25X



IA 70L

Umg. VI 61





20

EXERCITATIONES
ORATORIAE
SVADÆ CASSOVIENSIS.

SUPREMO HONORI
*Illustrissimorum, Reverendorum,
Nobilium, & Doctissimorum Domi-
norum*

AA. LL. & Philosophiæ Neo-Magi-
strorum

Per
R. P. LADISLAUM PODHORANI, è Soc.
JESU; AA. LL. & Philosophiæ Doctorem,
ejusdemq; Professoremeritum-creatorum.

Oblatæ
A Perillustri & Nobili Rhetorica
CASSOVIENSI.



LEUTSCHOVIAE,
Anno M.DC. XCV.

*Maria Mo
ms. 1700.*

